



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia III. De potentiis animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

viuentibus vitā materiali, & diuifibili effentialiter requiritur noua pars formæ, vel in instanti, in quo fit nutritio, vel iam antè producta, & huius vnio cum forma præexistēti effentialiter ad nutritionem requiritur: & licet non in illa consistat formaliter, & completiue nutritio viuentis, consistit in illa formalissime augmentatio formæ, quæ in viuentibus effentialiter requiritur ad illorum nutritionem. Quia ad augmentationem viuentis formæ diuifibili effentialiter requiritur augmentatio formæ.

11 Actio, quā arbor abscissum ab alia arbore ramū sibi vnit, immanens est: & similiter actio quā homo suam vnionem extendit ad partem nasi, vel digitū omnino ab illo abscissam: quam iam emortuam iterum viuificat, & sibi vnit, quia omnes hæ actiones sunt immanentes, & alio agenti extrinseco eiusdem speciei fieri nequeunt.

12 Obiicit. Actio nutritiua vitalis fit per intus sumptionem: sed hæ actiones nō sunt per intus sumptionem, sed per iuxta positionem: ergo non sunt vitales. Resp. has actiones, vt plurimum fieri in materia habente partes inter se dispositas, & ordinatas per applicationem factam per intus sumptionem: cuius ordinem, & dispositionem est cum diuersis numero principiis, retinent, quando per iuxta positionem applicantur: & hac ratione hæ actiones dici possunt factæ per intus sumptionem: & non per puram iuxta positionem. Quod si applicantur partes in prima generatione acquisite, etiam illa nutritio non fiat in materia disposita per intus sumptionem, non tamen fit per iuxta positionem tantum: quia ordinatio illa partium, quā habet portio nasi, vel digiti abscissa, non fuit per iuxta positionem instituta: sed per primam viuentis generationem, in qua non fuit additio partis ad partem facta per iuxta positionem.

13 Sensatio externa, & interna, intellectio, & volitio in mea sententia per se ipsas sunt immanentes, & vitales, quia, vt probabo Contr. 5. Punct. 1. per se ipsas procedunt ab anima & illi vniantur. In sententia, quæ intellectiōnem, & volitionem in termino constituit distinctas à passione, & vnione, quibus inhæret, & vnitur animæ intellectio, & sic reliquæ actiones per vnionem, & inhæsiōnem superadditam, vitales sunt. An verò secundum hanc sententiam, possit illis vitalitas, & immanentia deficere, dependet ab alia quæstione: an videlicet possint ab alio principio actiuo, & in alio extrinseco subiecto produci: & quodcunque horum affirmetur, necessitatem inducit dicendi intellectiōnem, & volitionem, & sensationem posse sine immanentia, & vitalitate existere. Qui affirmant intellectiōnem, & sensationem consistere in actione: & non aliam immanentiam tribuunt sensationi materiali, nisi quia producit a forma, & subiectatur in materia illi vnita, tenentur dicere has actiones esse immanentes per vnionem materiæ ad formā quam immanentiam existimare posse ab illis deficere, quia ad hoc vt anima rationalis sensationem producat in materia, vnio inter vtramque tantum se habet tanquam conditionem, quam Deus poterit supplere: ita vt anima hanc actionem exerceat in materia non sibi vnita: & immanens non sit, neque vitalis: semper tamen immanentiam ad vitalitatem requisitam exigit, quod sufficiens est, vt cum talis actio immanens sit, vitalitatem habeat.

14 Præsentia localis, neque motus progressius, & viuentiū motus dilatationis, & cōtractionis, vitales non sunt. De motu cordis, tenet hanc conclusiōem P. Garcia super fen. Aui-cennæ, disp. 50. c. 4. n. 17. & refert S. Th. opusc. 35. & 1. 2. q. 17. art. 9. art. 2. & 3. consentit Ferr. ibid. & P. Vasq. 1. p. q. 51. in explicatione art. 3. & disp. 86. in explicatione huius art. docet cōmestionem, loquutionem, & deambulationem esse vitales, tantum quoad modum, quia alias vitales actiones supponunt. Ratio est, quia eadem præsentia per eandem indiuisibilem actionem, per quam producit motu progressiuo, posset produci motu, quo corpus naturaliter descendit deorsum: quod enim anima rationalis moueatur determinata proprio volitionis actu, vel quod moueatur determinata motu naturali corporis grauis, cui est vnita, non infert, neque inducit diuersitatem actionis, cum principium immediatè, & ratione sui pertingens actionem maneat idem: sicuti actus voluntatis idem manet, siue ab illa cognitione representante idem formale obiectum, siue liberè à duplici cogitatione, siue necessariò ab vna tantum procedat. Secundo, eandem præsentiam numero, quā ego per motum progressiuum acquirō, cum eadem vnione respectu cuiusvis extremi potui in me producere aliud agens eiusdem speciei: ergo actio productiua præsentis nō

habet ex prædicatis specificis agentis, & termini, esse immanentem, neque immanentiam exigere. Addidi cum eadem vnione, ne instares termino nutritionis, qui potest ab alio principio eiusdem speciei transseuntè produci.

Actiones, quibus Carduelis, & Pauo se depingunt coloribus, vitales non sunt, quia proueniunt à temperamento primariū qualitatum, respectu quaru actio productiua coloris nō habet propriam immanentiam, vt probauit Punct. 1.

CONTROVERSIA III. De Potentiis Anima.



Gr iam de Anima secundum se, & ago modo de Anima secundum suam virtutem, propriasque ipsius potentias in communibus actibus in particulari de singulis earum, Controuersis sequentibus.

PUNCTUM PRIMUM.

An Anima per suammet entitatem, virtutem actiuam, atque passiuam habeat respectu suarum operationum.

§. I.

De virtute actiua.

Enodatio huius difficultatis viam aperiet ad passionem distinctas, vel indistinctas in anima constituendas, licet non omnino illam dirimat, quia postquam probauerimus animam concurrere immediatè ad suas operationes, restat sciendum, an concurret se solā, vel potentis, superadditis adiuta.

Vnum est fundamentum Thomistarum, negantium animam immediatè concurrere ad suas operationes, scilicet substantiā non esse immediatè productiuam accidentium: hoc à nobis destructum est in physicis, quapropter in illa expugnando, vel dissoluendo immorandum non est.

PRIMA CONCLUSIO. Anima immediatè concurret effectiue ad suas operationes exercendas. Probo illā specialiter respectu volitionum, ex quibus à paritate licet argueretur anima meretur, & demeretur per actus voluntatis: ergo est libera respectu actuum voluntatis: ergo efficienter concurret ad illos. Primum antecedens est fide sanctum, Prior illatio vix distinctionem admittit. Nolo tamen procedere, quin præcludam effugium, quod forsitan aliquis minus tūtentabit, si dicat, animam esse liberam mediata, quia libera est voluntas, quæ est passio illius, non immediatè quia immediatè nihil efficit: quod sic impugno. Anima est, quæ primariò meretur, & demeretur: ergo anima est immediatè libera: antecedens puto absque notabili errore non posse in dubiū vocari: consequentiam probaui meriti, & demeriti libertatem cōsequitur: ergo illud, quod primariò immediatè, & per se meretur, est primariò per se, & immediatè liberum: ergo anima, cuius est proprium meritum, & demeritum, inest primariò, & per se, & propria immediata libertas. Confirmatur: animam esse liberā mediā potentia ab ipsa distinctā, tantum dicit potentiam esse liberā, & hanc potentiam subiectari in anima: ergo tantum libertas immediata potentie conuenit immediatè animæ, quatenus anima in se recipit potentia: sed receptio huius potentie in anima, & vnio inter vtramque nō est libera animæ: ergo non est in illius potestate illud, quod tu vocas libertatem mediatam: ergo talis libertas, mediata libertas non est respectu animæ, sed tantum respectu potentie. Viget; Anima tantum se determinauit ad illam libertatem immediatam potentie, quam tu mediatam vocas respectu animæ, quatenus se determinauit ad habendam potentiam quæ postea se determinat sine noua animæ determinatione: sed determinatio animæ ad habendam potentiam, quæ postea se ad actum determinat sine noua animæ determinatione, nullo modo fuit in potestate illius se determinare ad actum liberum voluntatis, quem tu dicis esse mediā: liberum respectu animæ: ergo anima nullo modo est libera respectu talis actus, ex eo præcisè, quod potentia in illa recepta libera sit. Sciatū itā libertate immediatè respectu animæ, illius actiuitas sic facillè statuitur. Illud principium est.

est liberum, & se determinat quod efficitur anima est per se, & formaliter, & immediate principium liberum: ergo anima immediate efficit. Respondebis ad libertatem immediatam sufficere efficientiam mediatam. Contra: Determinatio non distinguitur ab efficientia principij in actu primo indifferenti: ergo principio, cui immediate conuenit determinatio immediate conuenit efficientia.

4 Dices animam posse tribui laudi, vel vituperio opus factum a voluntate, sicut tribuitur Patri, vel tutori opus filij vel pupilli, etiam si opus filij liberum non sit respectu Patris, neq; pupilli opus liberum sit Tutori. Contra: Patri vel Tutori tantum laudi, & vituperio datur educatio filij, vel pupilli, quæ formaliter libera est respectu Patris, qui liberè filium instruit, probo præceptoris tradit, illum bonis operibus exerceri cogit, vel hæc omittit, & oppositum permittit aut facit, & quia ex hac educatione, & doctrinâ sapè pendente bona, vel mala opera filij ideo hæc laudi, & vituperio Patri tribuntur, quod si filius quem Pater totis viribus optimâ doctrinâ erudire, & pijs motibus instruere curauit, sinistrè operetur, nihil labis ex immundis filij operibus adheret parenti. In voluntate autem aliter se res habet respectu animæ; hæc enim si actiue non concurrat cum voluntate, nullo modo potest illam regere; ergo non est fundamentum, vt voluntatis laus, vel vituperium propriis operibus acquisitum, animæ tribuatur.

5 Eandem conclusionem probo ratione communi pro actibus intellectus & voluntatis sensus interni, & appetitus: illam efformo respectu actuum intellectus, & voluntatis. Voluntas est potentia cæca, quæ operari non potest sine cognitione præeunte, quæ est necessaria, vt voluntas se determinet ad amandū; ergo principium cognoscens est, quod se determinat ad amandū; ergo anima est formaliter principium cognoscens, & eadem se determinat ad amandū: ergo est principium concurrens effectiue ad cognitionem, & volitionem. Probo consequentiam: non potest cognoscere id, quod non concurret effectiue ad cognitionem, quia cognitio, vt probabo, includit essentialiter actionem cognoscens, quod potest se determinare ad amorē, id, quod non effectiue concurret ad illum, quia determinatio essentialiter dicit actionem principij se determinantis: ergo illud, quod est principium cognoscens, & se determinans ad amandū, est principium productiuum cognitionis, & volitionis. Ab illo antecedenti principij cognoscens est, quod se determinat ad amandū, totus discursus legitime trahitur, quia si idem debet esse principium cognoscens, & se determinans ad amandū non sufficeret intellectum cognoscere, & voluntatē amare, si intellectus, & voluntas ab animo distinguerentur, quia etiā distinguerentur inter se, & non ex eo quod intellectus intelligeret, & voluntas se determinaret ad amandū, esset idem principium cognoscens, & se determinans ad amorē. Antecedens in quo totus nititur discursus, sic probo. Principium se determinans ad amorē, indiget præuâ cognitione, vt videat obiectū, circa quod se debet determinare, sine qua cæcum est, & non potest in aliquam partem se mouere, aut in aliquod tendere obiectum: ergo illa lux, seu illa visio, qua possit amissa cæcitare se mouere in obiectum quod videt, & inter plura opposita, hoc vel illud eligere pro libertate animæ respectu suarum volitionum in illo debet esse, alioqui eodem modo se habebit posita illa lux, seu illa visio in alio, ac si non esset posita, non enim potest principium cæcitatem amittere, nisi per visionem propriam illius, neque quidquam proderit principio productiuo volitionis visio in alio subiecto ab ipso distincto existens, sicut mihi quidquam non prodest Petrum videre obiectum, vt ego illud non videns, possim manu apprehendere, vel in illud tendere progressu motu.

6 Dices cognitionem conducere vt voluntas se determinet ad amandū ex eo quod subiectum habeant commune vtrique potentia, etiam si inter se distinguantur. Contra: subiectum commune vel iuuat voluntatem vt se determinet, vel non iuuat: si iuuat illam, actiue concurret, ad volitionem, quod contra te contendo: si non iuuat, quid præstat subiectum commune potentis distincti ad hoc vt vna dirigatur cognitione, quam non habet, & se determinet ad obiectū, quod per se non cognoscit, & in quod nisi vt prius cognitum ferri nequit: Dices secundū, animam fieri cognoscens, & amantem per cognitionem & amorē ethi. cognitio, & amor in illa non existant, neque ab illa procedat, impugnauit supra hanc solutionem, sed adhuc illius doctrinâ admissa non satisfacit, quod sic ostendo. Est anima ama-

Franc. de Oviedo, Philosoph. Tom. II.

ret per amorē non productum ab illa, non ideo se determinaret ad amandū, sed voluntas quæ amorem producit: sed illud principium, quod se ad amandū determinat, debet esse cognoscens: ergo illud principium, quod amorem producit determinando illius existentiam debet esse cognoscens, sed hoc non potest esse voluntas distincta ab anima, quia hæc non cognoscit: ergo datur aliud principij cognoscens determinans existentiam amoris per productionem illius, quod non potest esse distinctū ab anima: ergo anima est principij cognoscens, & se ad amorē determinans: ergo est principij productiuum amoris. Hæc ratio eodē omnino modo fit in actibus sensus interni, & appetitus materialis, quia sicut voluntas indiget cognitione ad proprios actus, ita appetitus materialis indiget sensatione ad illorū exercitiū, & sicut voluntas in obiectū incognitum ferri nequit, ita neq; appetitus in obiectū non prius sensatum sensu tendere potest. Ex his actibus à paritate argumentum fit pro reliquis actibus intentionalibus sensuum exteriorum.

7 SECUNDA CONCLUSIO. Anima secundū se totam concurrat ad quemlibet actum vitalem producendum in quacunque parte organica materiæ, v.g. anima secundū se totam producit visionem factam in pupilla, & sensationem tactus factam in pede. Hæc conclusio in anima rationali questionī non subiicitur, quæ cum diuisibilis sit, eo ipso quod concurrat, secundū se totam concurrat, & cum partes non habeat non potest dici secundū omnes partes concurrere: in reliquis animis diuisibilibus illam probo. Anima secundū se totam, & secundū omnes sui partes virtutem habet ad producendam quamlibet sensationem, siue internam, siue externam, vt probauit Contr. i. punct. 7. vbi statui animas constare partibus homogeneis, quarum quælibet virtutem habet ad producendam quamcumque operationem. Deinde anima secundū se totam, & secundū omnes sui partes est sufficienter applicata ad producendam visionem in pupilla, neque ex defectu deorganizationis potest impediri productio visionis in pupilla dependens à parte animæ equi existente in pede: ergo illam producet: Animam secundū se totam, & secundū quamlibet partem sui esse sufficienter approximata ad producendam visionem, probo ex dictis 7. Physic. vbi itatui, cum communi omnium sententia, agens diuisibile non debere esse immediate applicatum passo secundū omnes sui partes, sed sufficere habere applicationem immediatam ratione alicuius partis, & media hac aliam, & aliam applicari: ergo etiam si anima equi non sit approximata secundū omnes sui partes, sed immediate, & mediate secundū alias, ex quibus fiat vnum agens totale, sufficientem applicationem habebit, vt agat in organum cuiuscunque sensationis, sensationem ibi proportionatam. Deinde ratione organizationis non impediri hanc actionem, sic probo: deorganizatione tenet ex parte subiecti, & non requiritur ex parte agentis, neque ratione principij actiui, neque in illa parte à qua fluat actio, sed in illa parte subiecti, in qua recipitur, vel cui vnitur illius terminus: ergo visio recipienda tantū in pupilla, etiam si producenda sit à tota anima non requirit deorganizationem in tota anima, sed in illa parte subiecti, in qua sensatio est exercenda, vel cui ipsa, vel illius terminus est vnendus: ergo cum animæ pars in pede existens virtutem habeat producendi visionem in pupilla oculi, & illam habeat sufficienter applicatam, & ratione deorganizationis non repugnet, necessariū suam virtutem exercet, & actiue ad visionem, & quamlibet sensationem exercendam in quacunque parte corporis concurrat.

8 Obiicies primò. Pars animæ existens in pede respectu pupille non est actus informans, sed assitens, quia tantū informat partem pedis, & non pupillam: ergo non potest in illa sensationem producere, quia forma assitens non potest exercere actiones vitales in subiecto, cui tantū assitit, & non informat, & ideo ex operationibus vitalibus quas exercet anima in corpore, inferimus non esse actum purè assistentem, sed informantem. Respondeo partem animæ existentem in pede non esse actum informantem respectu materiæ pupillæ, cui non est immediate per se vnita, nihilominus non dici purè assistentē ratione vnionis mediatæ, quia habet cum illa, quia actus purè assitens nullam dicit vnionem cum subiecto, cui assitit: Sed quidquid sit de modo loquendi. Respondeo ad hoc vt anima producat actionē vitalem in hac parte subiecti secundū omnes partes sui sufficere informare talem partem subiecti, immediate secundū aliquam partem sui, & esse vnitam secundū omnes

omnes alias huic parti informanti subiectum sensationis, ut patet in nutritione, in qua forma adæquata producit partem formæ sibi necessariò vnitam, quam separatam producere non potest, non tamen requiritur hanc vniri omnibus partibus formæ adæquate, quæ ad illius productionem conducunt, sed tantum necesse est alicui immediatè vniri, & reliquis mediatè ratione huius.

9 Obiicies secundò. Anima producit visionem per actionem immanentem: ergo illa pars animæ cui visio non est immanens, non potest concurrere ad illius productionem: sed visio non est immanens parti animæ equinæ existenti in pede: ergo non potest hæc pars ad visionem concurrere. Respondeo animam producere visionem per actionem immanentem formaliter alicui parti animæ, & reliquis partibus, totique animæ denominatiuè ratione illius partis, cui est visio formaliter immanens, & ita secundum omnes potest concurrere ad visionem formaliter immanentem secundum omnes. Neque refert secundum omnes partes concurrere per modum principij vitalis, quia anima secundum omnes sui partes concurrit per modum principij vitalis ad mutationem, cuius terminus non omnibus immediatè, sed aliquibus tantum vnitur.

10 Obiicies tertio. Si anima secundum omnes sui partes concurreret ad visionem, sequeretur viuens maius corpore, perfectius videre alio viuente exiguo corpore prædito, & idem viuens imperfectius videre resecto ab illo brachio, quam illo retento, quia pauciores anima habet partes quàm existit brachio abscisso, ac quando, cum proprio brachio integrum perseuerat. Resp. Hanc obiectionem in rationalibus locum non habere, in quibus anima partibus caret; neque in reliquis viuentibus quidquam probare, quia viuens, quod plures partes animæ habet, habet plures materię partes, in quibus operationes exercet, & ita pars quælibet pluribus operationibus exercendis in diuersis partibus subiecti est intenta, & quò pluribus compartibus adiuuatur, plures adiuuat ad illarum operationes, exercendas; in quarum productione suam virtutem infumit, & intenta pluribus operationibus aliarum minorem virtutem habet ad proprias elaborandas, totidem enim, imò forsan magis propriæ virtutis impendit in alias animæ partes adiuuandas, quàm aliarum in suum auxilium experitur.

S. II.

De virtute passiva.

11 TERTIA CONCLUSIO. Etiam si dentur potentie superaddite, anima rationalis est immediatum principium passuum intellectus & volitions, & subiectum informationis, cui vnuntur intellectus, & volitio. Hæc conclusio probatur eadem ratione, quæ primam conclusionem probauit: Anima est principium formaliter intelligens, & amans: ergo intellectus, & amor illi formaliter vnuntur. Antecedens satis firmum est rationibus adductis conclusionem primam; Consequens constabit ex dicendis Controv. 5. Punct. 1. vbi probabo intellectum, & reliquas actiones vitales importare vnionem ipsarum ad subiectum vitaliter operans. Ex quo probatur has actiones vniri animæ; in ipsa esse tanquam in subiecto, ex quo educuntur, difficultate caret, quia absque fundamento distinguendum non est subiectum inhesionis, & informationis.

12 QUARTA CONCLUSIO. Hæ operationes ita subiectantur, & vnuntur animæ, ut non subiectantur, neque vniantur potentiis superadditis, etiam si hæ animam comitentur. Hanc conclusionem non possum euidenti ratione probare, illam tamen satis probabiliter suadeo. Hæc accidentia subiectantur in anima, & ipsa per se sufficiens est, ut sit subiectum adæquatum illarum: ergo non est multiplicandum aliud subiectum inadæquatum pro his actionibus, etsi enim anima potentiis ad illas efficiendas indigeat; non tamen ad illas recipiendas, neque illarum vniones terminandas. Confirmatur: Potissima ratio, quam assignant Doctores ad potentias superadditas constituendas, est, ut anima determinetur ad has actiones, videlicet volituias, & illas intellectuias efficiendas; sed ad illas recipiendas, vel terminandas non indiget hac determinatione speciali, quia eo ipso quod sit determinata ad intellectum producendam, manet determinata ad illam recipiendam, & illius vnionem terminandam: ergo non indiget determinatio ex parte principij passui: ergo non indiget potentia, quæ animam iuuat ad patiendum suas operationes, vel ad termi-

nandum ipsarum vniones, etsi illa indigeat ad efficiendum: ergo etiam si dentur potentia, quæ actiue concurrat cum anima ad suas operationes, nulla datur, quæ passiuè finalis cum anima influat in easdem, quas actiue producit.

QUINTA CONCLUSIO. Brutorum animæ immediatè tanquam subiectum adæquatum recipiunt suas operationes. De operationibus sensus interni, & materialis appetitus probatur eadem ratione, qua probauit intellectum, & volitionem subiectari in anima: de reliquis operationibus ab harum paritate.

SEXTA CONCLUSIO. Sensationes materiales hominis subiectantur in materia, tanquam in subiecto adæquato inhesionis: non subiectari in anima tanquam in subiecto inhesionis adæquato fatentur omnes, quia accedens materiale non potest educi ex subiecto spirituali: subiectari in toto composito tanquam in subiecto adæquato, & in anima tanquam in subiecto inadæquato contendit Arriaga disp. 3. sect. 2. subsect. 2. vbi respondet variis rationibus, quæ alij adducunt ad probandum vnitatem spirituales non posse esse subiectum adhuc inadæquatum rei materialis; ego tamen Arriagæ solutionibus non indigeo, quia rationes omnes, quæ ex aliis in suam sententiam adducit inefficaces iudicio scrupulorum enim est asserere formam materialem communicatam subiecto, ex quo educeretur, suam materialitatem alio modo, quàm per vnionem, quo possumus dicere animam rationalem communicare subiecto suam spiritualitatem, neque alius est modus communicandi prædicta inter subiectum, & formam; materia enim vnita formæ sensitiuæ non fit sensitiua, neque vnita formæ rationali rationalis fit, sed tantum totum ratione formæ, quam doctrinam sæpe repeto, & sæpius esse repetenda, quia video multos hac communicatione prædictorum inter materiam & formam offendere, & prolixè satis inutiliter quæ ex hac doctrina non penetrata disputationes protendere.

Probo rem spirituales non posse esse subiectum inadæquatum educationis rei materialis, ex communi sententia, quæ admittit non posse esse subiectum adæquatum, quo posito sic arguo. Incapacitas recipiendi adæquate formam materialem in subiecto spirituali non provenit ex eo quod sit inferioris ordinis cum illa indigentis alio compingit adiuuante, vel eleuante, quia subiectum spirituale perfectius est forma accidentali, sed ex improportione, quæ est inter rem spirituales, & materialem: sed eadem improportio remanet respectu subiecti inadæquati: ergo eadem incapacitas. Rem explico; incapacitas hæc in subiecto spirituali non oritur ex imperfectione ipsius, sed ex nimia perfectione, propter quam illi repugnat formæ spirituali subiecti; ergo non supplebitur hæc incapacitas per aduentum alius compingit passui, quia non minus est contra perfectionem rei spiritualis esse subiectum inadæquatum rei materialis, quàm adæquatum.

Meam ratiocinationem apriet virtus productiua rei materialis respectu spiritualis, & spiritualis respectu materialis: Res materialis inferioris est ordinis, & ideo ut spirituales producat, indiget principio eleuante, quo rem spirituales producat: Res spiritualis altioris ordinis est respectu materialis, & ideo illam producit sine alio compingit materiali, quia non indiget eleuatione illius cum superior sit: ergo si res spiritualis posset esse subiectum educationis rei materialis, non indigeret compingit eleuante: sed ipsa, ut pote altioris ordinis illam adæquate recipere. Accedit ad hanc ratiocinationem, necessarium non esse ex aliquo capite has sensationes recipi adhuc inadæquate in anima, ut ex conclusione sequenti, & ex dicendis Controv. 5. Punct. 1. de natura intellectus, & aliarum operationum clarè constabit: quæ ratio non est levis momenti, cum absque necessitate ponendum non est accedens materiale subiectari in forma spirituali, quod tantum pro hac questione inuentum est.

SEPTIMA CONCLUSIO. Sensationes materiales vnuntur animo rationali. Probo hanc conclusionem: idem debet esse principium sentiens, & appetens: ergo eidem principio sentiendi, & appetendi debet vniri sensatio, & appetitio: hoc debet esse anima: ergo animæ vnuntur hæ operationes. Hoc principium debere esse animam sic probatur: sensatio, & appetitio includunt influxum actiuum, sed materia neque inadæquate concurrat ad actum sentiendi, & appetendi: ergo anima tantum est quæ sentit & appetit. Respondet Hurradus disp. 4. sect. 3. vbi docet, sensationes materiales recipi in materia, immemor distinctionis inter receptionem

receptionem, & vnionem, sensationem includere actionem & passionem: nihilominus non esse necessarium animam recipere sensationes, etiam si idem debeat esse principium sentiens & appetens, quia principium appetens appetitum materiali non est forma sed totum compositum: forma ratione actionis, & materia ratione passionis. Vnde non est necessarium, vt principium cognoscens sit forma, sed totum compositum: forma ratione actionis, & materia ratione passionis.

18 Hunc dicendi modum recte impugnat Arriaga supra: In primis, quia agere concipitur actus sentiendi diuisus in duobus subiectis, in vno ratione actionis, in altero ratione passionis. Deinde hoc admissum adhuc solutio non satisfacit, quia principium appetens non indiget cognitione, vt recipiat actum, quem producit, sed vt illum producat: non enim illuminatur ad recipiendum, sed ad agendum: ergo id, quod producit actum appetitus debet cognoscere; sed anima producit actum appetitus, ergo anima debet cognoscere: ergo anima debet habere id, quod requiritur ad cognitionem, quem discursus huiusmodi legitimum esse existimo: sed ex hac vltima illatione ab Arriaga discedo. Ille existimat ad sensationem requiri formaliter actionem & passionem: & ex hoc antecedenti consequenter infert animam fore principium actuum, & passuum sensationis. Ego censeo passionem non spectare formaliter ad sensationem, sed tantum actionem, & informationem, & tantum infero ex principio ex quo Arriaga deducebat actionem, & passionem, actionem, & informationem, seu vnionem sensationis respectu animæ sentientis: passionemque eiusdem sensationis respectu animæ supra impugnauimus. Neque nouum est in Philosophia concedere informationem formæ respectu subiecti, cui non inhereat, quia anima rationalis materiam, cui non inhereat, informat.

19 Dubium esse poterat, an sensatio recepta in materia, & vnita formæ, vniretur etiam materiæ: cui affirmatiue satisfacio, quia nullam vidimus formam inherentem subiecto, cui non sit vnita, licet viderimus formam vnitam subiecto, cui non inhereat.

20 Reddi iterum molesta obiectio de communicatione effectus formalis formæ ad subiectum, quam omnes adducunt contra communem sententiam, quæ sensationes in materia receptas, & vnitas constituit: Sensatio recipitur in materia: ergo illi communicat suum effectum formalem: ergo materia est sentiens. Respondeo ex dictis sæpe effectum formalem inseparabilem, quem communicant formæ subiecto cuiusque, nihil aliud esse quam se totam communicare terminando secundum totam suam entitatem vnionem ad subiectum; hoc autem, quod est in sensatione constituere sentiens, & in gratia, seu sanctitate constituere sanctum, & in aliis formis similes denominationes tribuere, est connotare subiecta apta, ex quibus, & ex forma illis vnita resultat talis denominatio, & concretum per illam significatum: non verò ex ipsa forma vnita alij subiecto. Ex gratia habituali, ex Angelo, & vnione inter vtrumque resultat hoc concretum, *sanctum*, quod non resultaret ex gratia, & ligno, etiam si inter lignum, & gratiam vnio intercederet.

21 Obiicies contra conclusiones, quibus dixi, sensationes brutorum subiectari, & vniri in anima, & sensationes hominis tantum vniri animæ: sequi ex illis esse magis immanentes sensationes bruti, quam hominis; ex quo infertur esse magis vitales, quod nullus concedit. Respondeo, operationes bruti esse magis immanentes respectu animæ rationalis, non tamen esse magis vitales, quia maior immanencia, quam habent operationes bruti respectu formæ est immanencia in hæsiua, seu mediâ in hæsiione, quæ ad vitalitatem non spectat, non informatiua, seu mediâ informatione, & vnione, quæ tantum ad vitalitatem conducit.

22 Vltimò noto totam hanc doctrinam, æquè defendi in opinione, quæ nullam vnionem cognoscit in accidentibus respectu subiecti, quod informant præter inherentiam, seu in hæsiionem, quia secundum hanc opinionem sensatio recepta in materia per in hæsiionem habentem vicem vnionis inter vtramque, potest per aliam vnionem, quæ in hæsiio non sit, esse vnita animæ, & licet concedatur omnem in hæsiionem accidentis in subiecto esse vnionem vtriusque, non ideo necessariò dicendum est omnem vnionem accidentis ad subiectum informationis esse in hæsiionem, sed potest habere vnionem identificatam cum in hæsiione respectu subiecti, quod informat, & cui inhereat, & aliâ vnio-

nem distinctam ab in hæsiione, quâ informet subiectum informationis, cui non inhereat. Aduerto similiter me probasse sensationes materiales hominis non subiectari in forma, ex quo tacite intuli subiectari in materia, quod posset aliquis in questionem vocare, quia potest sensatio non subiectari in forma, neque in materia, sed quantitate, de quo parum curauimus, quia vix potest reperiri coniectura, quæ inclinet ad dicendum subiectari in quantitate; & difficillè erit rationem inuenire, quæ probabiliter suadeat sensationes has magis subiectari in materia, quam in quantitate iuxta nostrum modum philosophandi, qui vitalem immanentiam illarum constituit in vnione immediata ad formam, iuxta quam nullam vnionem, neque in hæsiionem requirunt in ordine ad materiam, vt vitales sint. Nihilominus coniector subiectari in materia, quia sunt operationes propriissimæ viuientis, quas in aliqua parte illius subiectari congruum apparet, quod ego speciali ratione probare non posse ingenuè fateor, neque id suadere meus est animus, sed tantum persuadere sensationes has non recipi in anima rationali adhuc inadæquatè, de quo in hac re est tota inter auctores dissertatio.

PUNCTUM II.

An potentia realiter distinguantur ab anima.

§. I.

Doctorem placita.

1 Pro vtraque contradictionis parte stat densum Doctorem agmen, negans potentiam realiter distingui ab anima. Ductat Scot. in 2. dist. 16. q. vnic. licet suam distinctionem ex natura rei illis accommodet. Consentit Bonau. dist. 3. q. 3. Doctorum turba nullam distinctionem realem, neque ex natura rei inter potentias, & animam inuenit. Sic sentit Greg. in 2. dist. 16. q. 3. Ockham dist. 16. q. 24. & 26. Gabriel ibid. q. 1. Marfil. in 1. q. 1. art. 3. Henric. quolibet 3. q. 14. Hurt. disp. 4. sect. 4. Arriaga disp. 3. sect. 4. quibus ferè omnes recentiores, qui hoc tempore scribunt, consentiunt.

2 Dux illorum, qui distinctionem potentiarum ab anima propugnant, fertur D. Th. 1. p. q. 77. art. 1. quem tota sua sequitur schola, Caiet. ibid. Aegid. quodlib. 3. q. 10. Capreolus in 1. dist. 3. q. 3. art. 2. Sorus in Logica, c. de proprio q. 2. Heruæus quodlib. 1. q. 9. ex nostris hanc amplectuntur opinionem P. Suarius tom. 4. Metaph. disp. 18. sect. 3. n. 13. & sequentibus, & lib. 2. de anima, c. 1. P. Vafq. 1. 2. tom. 1. disp. 14. cap. 3. P. Greg. de Valentia tom. 1. disp. 6. q. 3. punct. 2. P. Toletus lib. 2. de anima, c. 4. q. 9. P. Rubius lib. 2. de anima, c. 3. tract. de potentiis animæ, q. 1. n. 6. PP. Conimbric. lib. de anima, c. 3. q. 4. Sententiam mediam amplexus est Durandus in 1. dist. 3. q. 2. qui arbitratu est potentias animæ vegetatricis, nimirum virtutem nutriendi, & generandi esse idem re cum anima, facultates verò sentiendi, & intelligendi, ab ea realiter distingui.

§. II.

Propria sententia.

3 PRIMA CONCLUSIO. Implicat potentia volitiua distincta realiter ab anima, & ab intellectu formaliter libera. Probo: omne principium liberum vt liberum essentialiter includit cognitionem principij liberè operantis: sed potentia volitiua distincta ab anima, & ab intellectu non esset cognoscitiua, neque posset habere cognitionem, vt fatentur omnes, qui distinctionem potentiarum tuerentur: ergo non esset libera. Respondebis: sufficere cognitione intellectus, vt voluntas libera constituatur. Contra: si intellectus & voluntas distinguantur, voluntas non constituitur realiter cognoscens per cognitionem voluntatis: ergo etiam si versaretur circa obiectum turpe, & se actibus prauis ex obiecto exerceret, rectè posset dicere ignorans & inscia operis à me facti, *fecit illud*: ergo non liberè. Confirmatur: In principiis, quæ influunt in volitionem, illud libertatè propriam exercet, quod determinat alia compincipia ad operandum; & illud est liberum in actu primo, quod potest se ipsum, & reliqua, ex quibus actus primus componitur, ad eandem efficientiam determinare: sed tantum principium cognoscitiuum potest determinare seipsum, & alia compincipia

principia: ergo tantum compingit principium cognoscitivum est liberum: sed voluntas distincta ab intellectu, & anima non esset principium cognoscitivum: ergo non esset principium liberum. His omnibus nulla superest solutio, nisi recurrere ad cognitionem intellectus, & illam voluntati applicare, quod sæpe impugnavi, quia si intellectus, & voluntas distinguuntur, cognitio intellectus respectu voluntatis perinde se habet ac si non esset.

4 SECUNDA CONCLUSIO. Implicat potentia volitiva formaliter, hoc est, quæ formaliter constituitur ipsa in se volens per actus ab illa productos distincta realiter ab intellectu, & a voluntate. Hæc conclusio ad plura se extendit, quam præcedens, quam includit, placuit tamen præcedentem præmittere, quia non nihil efficacius probatur, licet hæc mea sententia ex communibus principiis efficacissimam habeat rationem, illam expendo ex dictis Punct. præced. Principium volitivum, quod formaliter per cognitionem constituitur volens essentialiter debet esse cognoscitivum: sed voluntas distincta ab anima, & ab intellectu non esset principium cognoscitivum: ergo non posset esse principium volitivum, quod formaliter per volitionem constitueretur volens. Teneat legitime consequentia, & Minor est evidens. Tota difficultas, si aliqua est in hoc discursu ex Maiori dependet, quod expeditur, ne singularis tibi videatur conclusio quæ ex præmissis, quas tota schola sine controuersia cõcedit, per legitimam illationem deducitur. Maiorem expendo principium volitivum, quod volens constituitur per volitionem, debere esse cognoscitivum, nemo hucusque negavit: sed posset aliquis, ut vim huius argumenti effugeret, asserere sufficere cognitionem intellectus radicati in eadem anima ut voluntas posset amare, & odio habere: quæ solutio sæpe impugnavi ex eo, quod voluntas, etiam si subiectum haberet commune cum intellectu, æquè ignara maneret posita cognitione intellectus: ac si non esset posita: ergo nihil præstat voluntatis subiectum commune cum intellectu, neque huius cognitionis, ut ipsa possit amare, vel odio habere.

5 Aliter posset aliquis respondere, dicendo requiri principium aliquod volens, per hæc volitionem, quod se ad illam determinat, & potest esse liberum respectu illius, esse formaliter cognoscens, & propter hanc rationem eadem animam, quæ vult, debere intelligere: non tamen requiri omne principium volens ex vi huius volitionis esse formaliter cognoscens: sed posse dari aliquod, videlicet potentiam volitivam, quod per volitionem constituitur volens, & tamen non indiget cognitione, quia est volens constituitur, non tamen se determinat ad volitionem, sed anima ipsam determinat, ut producat volitionem, & ut per ipsam amet, vel odio habeat, sicuti determinat habitum, ut volitionem producat. Propter hanc solutionem dixi non nihil efficacius probari conclusionem præcedentem, quæ integra remaneret, etiam si hæc solutio veram contineret doctrinam, quam falsam, neque sustinendam esse sic probo. Principium volitivum non solum indiget cognitione ut se ad amandum determinet, sed ut amet: ergo cognitio requiritur ex parte cuiuscunque volentis, etiam non se determinantis ad cognitionem. Antecedens probatur: si cognitio tantum requireretur, ut principium cognitionis se determinaret ad illius productionem, & non ut vellet, seu amaret, vel odio haberet obiectum, posset dari substantia aliqua non cognoscitiva, quæ posset amare, & odio habere per actus amoris & odij, ad quos ipsa non se determinaret, sed necessario esset per modum actus primi determinata ad illos: sicut ignis determinatus est ad calefaciendum in quocunque subiecto applicato, quod nullus cõcedet: asserere enim, posse dari substantiam volitivam, & non cognoscitivam, nimis est paradoxum. Secundò probo cognitionem requiri præcisè ex parte cuiuscunque principij ad hoc ut possit velle, etiam si ab alio esset determinatum ad productionem amoris: cognitio se habet respectu principij amanti tanquam applicatio obiecti amandi: sed omne principium requirit obiectum amandum sibi applicatum: ergo omne principium amans, etiam si ab alio sit determinatum ad amorem requirit obiectum sibi applicatum: ergo requirit illius cognitionem ut possit circa illud actum amoris tendere. Omne principium amans indiget obiecto sibi applicato ad illud amandum, probo à paritate principij intelligentis, quod etiam respectu illorum actuum, qui determinationi voluntatis subduntur, indiget applicatione obiecti mediâ specie facta. Secundò quia de ratione totius principij amantis est moveri bonitate, non ut existenti, quia sæpe actus voluntatis fertur in bonitatem, quæ non existit, sed ut cognita: ergo de ratione

totius amantis est ferri in bonitatem ut cognitam: dico ut cognitam, non quia ly *ut*, reduplicet rationem formalem obiecti, sed conditionem requisitam ad amorem. Concludendum est ex dictis, omne principium formaliter amans indiget cognitione: non solum ut se ad amorem determinet, sed ut amet, quia sicut amans etiam si ab alio determinetur ad amorem, obiectum respicit per amorem, ita obiecti indiget applicatione. Principia alia, quæ amorem producant, quæ non amant, non indigent hac applicatione, quia hæc non versantur circa obiectum: sed tantum circa subiectum, ex quo educunt actum amoris, & ita applicatione indigent respectu subiecti, non verò respectu obiecti, quam applicationem habet habitus per intimam præsentiam, quam habet cum subiecto, & per inhæsionem, quam habet in subiecto, ex quo amor educit. Vnum in hac solutione verum existimo pertingit, cognitionem ita requiri, ut principium amans se ad amandum determinet, ut abique dubio aliquo principium non cognoscens non possit se ad amorem determinare adhuc de potentia absoluta. An verò determinatum à Deo possit principium indigens cognitione ad amandum, sine illa supernaturaliter ferri in obiectum actus amoris, non sine formidine pro utraque parte potest controuerti, quod præstabo Controv. 7. P. 3.

TERTIA CONCLUSIO. Possibilis est anima, quæ suas operationes producat mediis potentiis superadditis, quæ simul cum illis effectivè concurrat ad suas operationes, & cuti concurrat cum habitibus, speciebus, & aliis compingit. Totum fundamentum huius conclusionis fundatum est ex non repugnantiâ talis anime, & potentiâ cum illa concurrentium. Non repugnantiam ostenderet argumentorum solutio, si quæ contra hanc conclusionem obicerentur, vnum tantum inveniretur, quod contra illam fieri posset, quod breviter propono, & solvo. Si anima concurrat ad suos actus, superflua est potentia, quæ simul cum illa concurrat ad illos: ergo impossibilis: Antecedens probatur: Prædicatum vitalitatis, quod est in actu, adæquatè correspondet anime: ergo prædicatum vitalitatis superflue responderet potentiæ: reliqua prædicata non correspondent potentiis, sed aliis compingit: ergo potentia omnino est superflua. Respondendo primò Antecedens, ad cuius probationem resp. prædicatum vitalitatis reperitur in actu correspondere adæquatè formaliter anime, quia anima habet rationem adæquatè constitutivam vitalitatis, sicuti illa habet actus: non tamen correspondere eminenter adæquatè, quia ut sæpe dixi ex correspondentiâ formali inter duas entitates, non inferitur correspondentiâ causalè ad effectum, neque ex correspondentiâ formali adæquatè inter causam, & effectum inferitur necessariò causam esse adæquatam: sicut enim correspondentiâ habet formalem adæquatam cum altero parete, tamen non ab illo tanquam à causa adæquatè dependet: sed tanquam à causa inadæquatè à quocunque illorum, & tanquam causa adæquatè ab utroque.

QUARTA CONCLUSIO. Possibilis est anima, quæ immediate concurrat ad suas operationes vitales abique illa alia potentia superaddita. Hæc conclusio probanda est ex solutione argumentorum, quæ adducunt auctores pro sententia constitutivè potentias ab anima distinctas; plerique enim, vel omnia probare intendunt non posse dari animam, quæ sine potentiis superadditis principium sit diversarum operationum, quæ omnia referam, & solvam.

QUINTA CONCLUSIO. Animæ, quæ de facto dantur nullas habent potentias superadditas. Hanc conclusionem non ita certam existimo, sicuti præcedentes; ea enim quæ de facto sunt, vel non sunt, & sensuum experientia in illis vel in suis effectibus nobis non innotescunt, magis latent Philosophum, quam rerum possibilitas, vel impossibilitas quæ ex repugnantiâ, vel non repugnantiâ, quam ex natura rei inferunt prædicata essentialia, valet definiri. Moueor ad hanc conclusionem affirmandam, quia nulla est necessitas constituendi animam existentem cum his potentiis superadditis, neque fundamentum aliquod positum, quod suadeat existentiam harum potentiarum, & quia illis admittis tenemur etiam asserere animam immediate concurrere ad omnes suas operationes, & animam se ipsam determinare ad operationes efficiendas, ut probat est punct. præcedenti, quæ omnia sententia constituens potentias superadditas non admittit, imò potius ex his contradiçtoriè oppositis fundamentum desumit ad potentias superadditas adtribuendas: tum etiâ, quia secundum fundamenta prædicta, si daretur potentiam aliquam superadditam, quæ simul cum anima ad volitionem concurreret, hæc tantum se haberet ut partem principij illarum, & non esset potentia volitiva seu potens

potens velle formaliter sed tantum productiua volitionis, sicuti habitus infusus respectu actiui, ad quos datur, & tota ratio volentis, & liberè operantis ad quatenus esset apud animam quæ tantum amaret, & odio haberet, suamque exerceret libertatem, & non illa potentia. Quæ omnia minus communia sunt in schola, quam sententia negans potentias superadditas animæ, quam grauissimi Doctores sequuntur, quos supra dedi, & ferè omnes recentiores huius temporis. Et quod maioris est momenti pro hac sententia refert N. Val. supra D. Isidorum lib. II. etymolog. cap. I. eique suffragari videri D. August. lib. 9. de Trinit. cap. 4. & lib. 10. cap. II. & illam expressè tradit D. Bernard. sermone vndecimo in Cantica, illius sunt verba: *In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem: & hæc tria eandem esse animam: quod si ab anima distinguerentur, non esset anima, sicuti calor non est ignis.* Mitto alia testimonia desumpta ex libro quarto de Spiritu, & anima, capite quarto, & decimo tertio, qui inter opera D. Augustini, illius nomine conscriptus legitur, quia liber hic non est Augustinianus, quia apud illum refertur Boetius diu Augustino ferè centum annis posterior, cuiuscunque tamen ille sit, illius auctoritas semper magni est habita, & liberum doctum, & eruditum esse testatur Bellarmin. de scriptoribus Ecclesiasticis.

9 Restat modò ad confirmationem huius, præcedentisque conclusionis expendere argumenta Doctorum, qui potentias superadditas admittunt, quod iam instituo.

§. III.

Argumentorum solutio.

10 NE temerè videar discedere à grauissimis, & sapientissimis Doctoribus, quos dedi pro sententia constitutente potentias ab anima distinctas, etiam mea sententia aliorum etiam doctissimorum auctoritate destituta non sit: In primis moneo sapientissimos Patres Suarium, & Vasquium locis supra citatis ingenuè fateri sententiam asserentem potentias non distingui ab anima haud difficile posse probari, & Valentiam loco supra citato hæc scripsisse: *Qualibet sententia ex his est probabilis, neque aliqua illarum manifestè demonstrari potest, neque magni etiam refert scire penitus quam sit probabilior:* & argumenta omnia, quæ distinctionem potentiarum ab anima propugnant dissoluit.

11 Arguit primò Suarez pro distinctione potentiarum ex illo Luca decimo: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima, & ex totis viribus tuis*, ubi vult nomine virium potentias significari. Certè nihil magis præter interpretum mentes, quam hoc, & simile testimonium, quod habetur apud Matthæum in hunc sensum explicare, neque aliquid aliud illa verba inuunt, nisi Deum amandum esse quantum possumus, ita vt totum animi conatum impendamus, vt Deum ardentissimè diligamus. Ita D. Augustinus libro primo de doctrina Christiana c. 2. ubi ait: *Toto corde, tota anima, nullam vitæ nostræ partem derelinquit, quæ vocari debeat, & quasi locum dari, vt alia re velit frui: sed quicquid aliud diligendum venerit in animo, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.*

12 Arguit secundò ex Psalmo centesimo secundo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, &c.* Vbi per illa verba, omnia, quæ intra me sunt, potentias ab anima distinctas significari ait Suarius, quod non probo, sed Genebrardo assentior, qui sic prædictum testimonium interpretatur: *Omnia quæ intra me sunt, id est, omnia interiora, tã corporis, quam animi benedicite, cor, pectus, ad intima vsque ossa, per prosopopeiam: vel omnes meæ cogitationes, & intimi animi assensus, vel affectus per metonymiam.* Nec mirum est vocare ad benedicendum Deo omnes corporis partes, qui aquas, montes, bestias, & pecora ad eundem benedicendum sæpe conuocat.

13 Arguit tertio Suarez ad probandum potentias distinctas ex imperfectione creaturæ: quam rationem sic possumus expendere. Quo imperfectior est creatura, maiorem compositionem habet: ergo anima rationalis, supra quam sunt plures creaturæ possibiles perfectiores, non tantam perfectionem debet habere, vt vnum sit cum sua virtute productiua operationum, absque vlla compositione inter animam, & suas facultates. Respondeo non esse supra perfectionem creaturæ, neque animæ rationalis, esse vnum

cum sua virtute effectiua operationum, etiam si plures creaturæ possibiles sint perfectiores anima rationali, & quæ illam perfectione excedant, eademque accidentium simplicitate antecellant, quia etiam in virtute operatiua æqualem simplicitatem iuxta meam sententiam, vel æqualem compositionem in sententia, quæ potentias spirituales in Angelo, & anima distinguit, sunt plura alia accidentia, in quibus maiorem simplicitatē habet Angelus, & potest habere creatura alia perfectior animæ rationali, quæ obiecta, quæ anima rationalis cognoscit per multiplicem cognitionem, per eandem Angelus cognoscit, & cognitiones, quas anima rationalis per plures species producit, per eandem simplicem producit Angelus. Simili modo potest philosophari in quacunque alia creatura perfectiori animo rationali.

14 Arguit quartò Suarez à paritate primarum qualitatuum, quæ sunt virtutes actiue elementorum, & ab illis distinguuntur: ergo virtutes actiue animæ ab ipsis distingui debent. Responderi posset ex doctrina eiusdem Suarij, qui multus est Punct. 2. Metaph. disp. 42. sect. 4. n. 9. vt defendat has primas qualitates non pertinere ad primam qualitatis speciem, quia licet sint actiue, non sunt primæ, & per se intrent à natura ad agendum, sed ad ornatum, & ad conseruationem formæ exigentis talem qualitatem. Sed huic doctrinæ non assentior, quatenus in illa traditur has qualitates non esse inuentas à natura ad agendum, sed ex alia illius parte solutionem desumo. Hæ qualitates inuentæ sunt ad ornatum formæ, & ita debent ab illa distingui. Item inuentæ sunt, vt disponant ad formam substantialem, quod fieri non posset ab illis, si ab anima non distinguerentur, insuper etiam hæ qualitates necessariò elementis in summo gradu, tanquam passionibus illorum conueniant, debent esse communes omnibus mixtis, in gradibus remissis, habentque alia sexcenta propter quæ necessarium fuit fuisse procreatas cum distinctione reali ab illarum subiectis, & essentiis quarum sunt passionibus.

15 Arguit quintò idem Suarez: ex parte principij passiuī requiruntur aliqua accidentia vt vitales operationes recipiantur: ergo ex parte actiui requiruntur similiter alia accidentia, vt producantur. Respondeo paritatem desumi posse ex deorganizatione, tenente se ex parte passiuæ, vel ex quantitate, quæ in multorum sententia, est subiectum, medio quo materia prima recipit accidentia, & vitales potentias, & operationes. Si argumentum sumatur à paritate deorganizationis requisitæ ex parte passiuæ, non potest inferri ex parte principij actiui dandum esse aliquod accedens respectu harum operationum, quia deorganizatio non se tenet ex parte passiuæ per modum principij passiuī recipientis has operationes, sed disponentis ad illarum receptionem; quod si ex hoc inferre velint auctores oppositæ sententiæ ex parte principij actiui dandum esse dispositionem ad agendum, nihil contra sententiam, quam modò defendimus inferent, & facile possemus concedere deorganizationem requisitam ad operationes vitales esse conditiones vt efficiantur, & recipiantur, sed adhuc hoc non inferitur neque verum est, quia efficere præcisè non dicit aliquid in se intrinsecum habere, quod dicit pati, ratione cuius ex parte passiuæ dispositiones plures requiruntur, quæ ex parte principij vt purè effectiui necessariæ non sunt. Si argumentum sumatur à paritate quantitatis secundum prædictam sententiam, quæ omnia accidentia etiam vitalia in quantitate subiectari defendit, non probat dari diuersas potentias, quibus animæ effectiue concurrant, sed dari vnicam, quæ sit adæquatum principium effectiui omnium operationum, sicuti quantitas est adæquatum immediatum principium passiuum omnium accidentium. Ex his constat in re adeò dispari disparitatem assignari necessarium non esse. Possunt tamen plures rationes illius assignari, quia in materia fundamentum est vt dicamus ipsam recipere alia accidentia mediâ quantitate: in anima autem nullum reperitur, vt dicamus mediò alio accidenti operationes efficere, & quia necessum non est materiam immediatè adhuc inadæquatè operationes recipere, & necessum est animam saltem inadæquatè ad omnes effectiue concurrere.

16 Arguit sextò. Potentiæ dependent à corpore in operando: ergo sunt corporeæ. Hoc argumentum constitutum est pro potentiis sensitiuis, quas, cum toto composito esse identificatas tenent multi, ex his, qui potentias negant superadditas, vt huic argumento satisfaciunt: ego tamen nullam

nullam virtutem actiuam materiæ concedo respectu operationum vitalium, neque composito, nisi ratione animæ; compositum enim viuens nihil aliud est quam anima, & materia, ac proinde nullam vim actiuam habere potest, nisi ratione alterius partis, vel ratione vtriusque: ratione materiæ illam non habet; ergo tantum ratione formæ, siue per ipsam formam, siue per potentiam ortam ex illa, quæ potentia si esset superaddita compositi diceretur, quia oriretur à forma, & reciperetur in materia, & quia non oriretur à forma præcisa, sed à forma vt unita exigente vnionem saltem vt applicationem subiecti, in quo producenda est talis potentia. Respondeo concedendo potentias has dependere in operando à materia, & nego sequi ex hac dependentia potentiam esse corpoream, quod sic probetur. Etiam si duntaxat hæc potentia superaddita, anima concurrat ad has operationes, vt probauit Punct. primo, & cum eadem dependentia à materia, vt notum est, & tamen est spiritalis: ergo virtus actiua spiritalis potest dependere à corpore.

17 Arguit septimò. Operatio sensitiua corporea est immanens: ergo debet dependere ab aliqua potentia corporea, in qua possit subiectari. Respondeo multis modis posse has operationes corporeas esse immanentes, etiam si tantum ab anima dependant, illos explicui Contr. præcedenti, Punct. i. modò breuiter dico, has operationes esse immanentes propter vnionem immediatam, quam habent cum anima vt dixi Puncto præcedenti.

18 Arguit octauò. Potentiæ sensitiuæ ordinantur ad actus corporeos: ergo sunt corporeæ, quia nihil spirituale potest ordinari ad aliquid corporeum. Respondeo potentias non ordinari ad actus corporeos tanquam ad finem, propter quem sunt intentæ, sed tanquam causas ad suos effectus, eo modo, quo dixi Controu. i. Punct. i. animam ordinari ad suas operationes.

19 Arguit nonò. Anima est indifferens ad operationes diuersarum potentiarum: ergo indiget potentiis superadditis, vt determinetur ad producendos actus huius potetie, potius quam illius. Multi redarguunt: Anima est indifferens ad producendas suas passionēs, & determinatur ad producendas omnes: ergo eodem modo potest determinari ad illorum actus producendos. Ineptæ redargutio: anima numquam est indifferens ad producendum potius potentiam intellectuam, quam volitionem; visuam, quam audituam, sed potens omnes producere, & determinata ad omnes producendas, in quarum productione nulla est contingentia, quæ magna intercedit in productione cuiusque actus vitalis. Melius retorquetur argumentum ex indifferencia, quam habet anima ad assensum & dissensum, amorem & odium; ad actum visionis tendentis in obiectum album, & actum tendentis in obiectum nigrum, & tamen hanc indifferenciam determinat ipsa anima, vel aliud comprincipium, & non alia potentia, quæ detur pro assensibus distincta ab illa, quæ datur pro dissensibus: ergo sicuti determinatur sine noua potentia differentia inter assensum & dissensum, poterit determinari inter intellectiōem, & volitionem. Respondebis maiorem esse differentiam inter volitionem, & intellectiōem, quam inter assensum & dissensum, & ita hanc posse dari sine noua potentia, & non illam. Sed inquiri, quæ lege taxata sint hæc determinatiua, vt pro tanta indifferencia determinanda, & non pro tanta exigatur noua potentia, & alia determinatiua non sufficiant, quæ minorem indifferenciam determinabant? Nulla certè, sed gratis omnino potentia superaddita exigitur ad hanc indifferenciam auferendam. Respondeo animam esse indifferenciam ad suos actus, hanc autem indifferenciam non indigere potentiis superadditis ad sui determinationem, sed tolli per species, vel alia comprincipia in actibus omnino necessariis, & in actibus liberis in se tolli ab ipsa anima libera in actu primo constituta per ipsorum exercitium, & in actibus potentiarum, quæ voluntati subduntur tolli per actus voluntatis illos imperantes.

20 Hæc omnia argumenta desumpta sunt ex nostro Suariorum loco allegato ex disp. 18. Metaph. præter duo testimonia, quæ adducit loco citato ex lib. de anima. Noster Tolet. quæst. 9. plura congerit argumenta sua, & aliorum pro hac sententia; soluit facta ab aliis, quæ vix indigent solutione, & ex propriis vnum, vel alterum inuenio distinctum ab his, quæ ex Suario retuli, quod hic referam. Sic arguit Toletus. Plura tribuimus aliquibus potentiis quæ negamus aliis, dicimus enim intellectum intelligere, & voluntatem amare, & dicere non possumus, intellectum amare, & voluntatem intelligere, & sic de aliis: ergo hæc potentiæ inter se distinguuntur: ergo distinguuntur etiam ab anima, quia ea, quæ sunt inter se distincta non possunt vni tertio esse identificata. Hoc argumento vniunt etiam Conimbricenses supra, quod si aliquid probaret conuinceret attributa in Deo realiter inter se ab ipso distinguuntur, quia non dicimus Deum misericordiam punire, & iustitiam parcere, neque intellectu amare, & voluntate intelligere, sed singulis attributis singulas operationes accommodamus. Respondeo nos tribuere operationes accommodamus intellectui, & amandi voluntati, quia ipsam animam quatenus intelligit, intellectum; quatenus amat, voluntatem vocamus, per ordinem enim ad diuersas operationes diuersas virtutes in illa cognoscimus formaliter inter se distinctas, & realiter inter se & cum ipsa anima identificatas, & quapropter realiter & nulla distinctione intellectus intercedente intellectus, & voluntas, omnes animæ potentiæ, quæ vnum sunt ad quamlibet actionem eodem omnino modo concurrunt, & in hoc sensu verum est hominem amare intellectu, & voluntate intelligere, & tamen ineptus loquendi modus, quia cum dicimus, intellectus, & voluntas, iam distinguimus formaliter vtramque potentiam, & ita in sensu formali de illis vt formaliter distinctis loqui debemus.

Arguit insuper: Potentia visiva in homine cæco separatur ab homine: ergo distinguitur ab anima. Eodem modo arguunt alij potentias recipere magis, & minus, ex quo eandem inferunt distinctionem. Respondeo potentiam visuam in cæco, & audituam in surdulo non separari ab anima, neque in sensu aliquo recipere magis aut minus, sed tantum deperdi de organizationem requisitam ad illorum actus, quæ perditâ nullus illorum potest exerceri à potentia permanente identificata cum anima & propter eandem de organizationem magis, minusve attemptatam iuxta exigentiam actuum potentiarum eademmet immutata intrinsecè perseverante, perfectius, vel imperfectius illos exercet.

Arguunt Thomistæ, substantiam non esse immediatè à operationibus, quod sæpe negauit. Arguunt, actus, & potentiam debere esse in eodem genere, quod modò nego, si hoc ita intelligant, vt actus, & potetia debeant esse intra idem genus substantiæ, vel accidentis, quod hic contendunt. Arguunt, animam fore in perpetua operatione si operaretur immediatè, & non per potentias superadditas: quod nego, similiter, quia eodem modo posset inferri potentias fore in perpetua operatione, ex eo quod per se ipsas immediatè, & non per alia comprincipia superaddita operantur. Hæc sunt argumenta, quibus auctores potentias distinctas ab anima, propugnant quæ ita prolixè retuli propter auctoritatem grauissimorum ac doctissimorum Doctorum, qui oppositam sententiam defendunt.

PUNCTUM III.

An potentia anima distinguatur ab ipsa formaliter.

Difficultas hæc tantum inter recentiores huius temporis exagitur, antiqui in distinctione reali defendendi, vel impugnandi intenti, de hac distinctione rationis non egere. Affirmant aliqui potentias realiter identificatas cum anima ab ipsa formaliter distinguuntur. Alij qui rem subtilius inspicere nullam distinctionem formalem inuenire inter animam, illiusque potentias.

PRIMA CONCLUSIO. Potentiæ animæ inter se formaliter distinguuntur, & quamlibet illarum saltem inadæquate ab anima distinguuntur necesse est. Prior pars conclusionis probatur ex distinctione actuum, & ex diuerso modo, quo hi actus procedunt à suis principiis, intellectus enim & volitio non solum distinguuntur specie sicut assensus, & dissensus, sed etiam distinguuntur ex diuerso modo respiciendi suum obiectum, quia intellectus trahit ad se obiectum, illud in se quasi depingendo, & representando: & voluntas fertur in suum obiectum per amorem, qui est quasi pondus quod animam in rem amatam inclinat, iuxta illud: *Amor meus est pondus meum; illuc feror quæque feror.* Eodem modo distinguuntur sensus internus, & materialis

materialis appetitus. Aliæ potentia sensuum exteriorum diuersa organa & diuersas dispositiones exigunt ad operandum, ex qua diuersitate fundamentum desumit intellectus ad has diuersas operationes inter se constituendas. Posterior pars conclusionis ex priori euidenter infertur, quia si voluntas, & intellectus inter se distinguuntur, non potest ratio animæ adequatè in potentia intellectiua, aut volitiua consistere, quia potentia volitiua formaliter secundum se præcisa, non dicit potentiam intellectiua radicalem, neque formalem, & potentia intellectiua eadem præcissione desumpta non dicit potentiam volitiua radicalem, neque formalem: sed anima essentialiter dicit principium formale, vel radicale: ergo non potest illius essentialiter consistere in aliqua harum potentiarum, propterea illis distinctis idem dico de aliis potentiis sensitiuis, quæ sunt de essentialiter anima sensitiua: seu constitutiua gradus sensitiui, quem essentialiter includit anima rationalis constitutiua hominis.

3 SECUNDA CONCLUSIO. Omnis potentia constitutiua prædicati alicuius, quod essentialiter supponat ratio viuentis, est essentialis animæ. Ratio est facilis: Omni inferiori essentialiter est prædicatum, quod essentialiter supponit tanquam quid superius: v. g. omni homini essentialiter est esse animal: ergo essentialiter est illi constitutiua sui superioris, quod essentialiter includit, si enim homini essentialiter est esse animal, essentialiter erit esse viuens, & esse sensibile, quæ sunt prædicata essentialiter constitutiua animalis. Hæc conclusio euidenter est, neque alia indiget probatione, aut explicatione.

4 TERTIA CONCLUSIO. Omnis potentia, quæ non est constitutiua prædicati superioris viuentis, & non est potentia dicens ordinem ad actus vitales, non potest esse metaphysicè constitutiua animæ, neque illi essentialis. Ratio est clara: ratio viuentis secundum se, & secundum omnes suas species vegetatiui, sensitiui, & rationalis, tantum consideratur in ordine ad actiones vitales vegetandi sentiendi, & ratiocinandi: ergo potentia, quæ non est sensitiua, vegetatiua, sensitiua, aut rationalis (nomine rationalis intellectiua, & volitiua clauditur) non est constitutiua differentia viuentis, neque illarum specierum, quæ sub conceptu viuentis continentur, vsque ad infimam speciem animæ: ergo si constitutiua non sit alicuius prædicati superioris, quantumuis identificata sit cum anima ad illarum essentialiam non pertinebit.

5 QUARTA CONCLUSIO. Potentia nutritiua est essentialis animæ nutritiua, & formaliter constitutiua illius impræcindibilis ab ea ex parte actus, & ex parte obiecti. Probo hanc conclusionem: Potentia nutritiua constituitur per prædicatum reale quod sit principium nutritionis: ergo per principium nutritionis formale, vel radicale: non per principium radicale: ergo per principium formale. Primum antecedens est definitio animæ vegetatiua: illatio ex illo est à positione diuini, & negatione vnus membri diuidentis ad affirmationem alterius, quam esse legitimam. Summulistas non later: negationem illius membri diuidentis confirmo: principium radicale nutritionis est illud, ex quo procedit potentia superaddita, quæ immediatè concurrat ad nutritionem: sed anima vegetatiua, quæ non habet potentiam superadditam non potest esse principium potentia superaddita: ergo non potest esse principium radicale: Maior per se patet, ex eo enim distinguuntur principium formale, & radicale cuiusvis effectus, quod principium formale immediatè per causalitatem per se ipsam attingentem effectum, & ab ipso procedentem infuit in effectum: & principium radicale per causalitatem procedentem ab ipso, & attingentem non ipsum effectum, sed virtutem aliquam, quæ ipsum per aliam causalitatem immediatè attingat: Minor est per se nota, Consequentiā legitima.

6 Confirmatur eadem conclusio, & alio modo expenditur eadem ratio. Nullus influxus potest considerari procedens ab anima vegetatiua non habente potentiam vegetandi superadditam respectu actus vegetationis procedentis ab illa tanquam à principio vitali, qui non immediatè tangat ipsum terminum nutritionis, ergo nullus influxus potest intelligi ab anima tanquam à principio vitali, qui non sit formaliter nutritio: ergo nullus influxus potest ab illa procedere, qui non procedat ab ipsa tanquam à principio formali nutritionis: Antecedens probo. Anima vegetatiua, quæ non habet potentiam superadditam non

potest influere in potentiam vegetandi: ergo tantum infuit in ipsum actum immediatè, nihil enim est, quod ipsa possit vitaliter producere, neque alia actio potest considerari procedens ab illa tanquam à vita, nisi illa, quæ terminatur in ipsum terminum nutritionis.

7 QUINTA CONCLUSIO. Anima sensitiua essentialiter dicit potentias sensitiuas correspondentes gradui substantiali sensitiuo constitutiui speciem animæ sensitiua. Vnde si ratione animæ sensitiua tantum dicit posse sentire sensationibus vnus potentia externa, & aliis interna: illa potentia externa, hoc est sensitiua obiectorum exteriorum, & interna, quæ hanc comitatur est essentialis, & constitutiua gradus sensitiui, itavt vtraque potentia adequatè gradum substantialem, per quem differt anima sensitiua à purè vegetatiua constituant. Probatur hæc conclusio, eodem modo ac præcedens: de ratione constitutiua animæ sensitiua, seu differentia, per quam anima sensitiua constituitur, & differt à pura vegetatiua est esse principium sensationis: ergo radicale, vel formale: non radicale: ergo formale. Percurre illationes factas ad primam conclusionem probandam, eisdem enim hæc euincitur conclusio.

8 SEXTA CONCLUSIO. Sensitiuum, in quo conueniunt equus & leo, per quod specie differunt à talpa & ab aliis animalibus, quæ non sunt prædita quinque sensibus, essentialiter includit potentias formales videndi, audiendi, &c. Ratio est, quia hoc sensitiuum differt à sensitiuo talpæ per principium sensationum pertinentium ad omnes quinque sensus, per quas omnia illarum obiecta percipiuntur: Non per principium radicale: ergo per principium formale. Idem discursus est huius conclusionis, & proximè præcedentis.

9 SEPTIMA CONCLUSIO. Rationale hominis essentialiter includit potentiam formalem intelligendi, & volendi. Probatur hæc conclusio eadem ratione, quæ præcedens. Rationale hominis includit essentialiter principium intellectiōis, & volitiōis, non radicale propter rationem iam dictam: ergo formale. Dixi rationale hominis, vt abstraherem ab illa questione, an possit dari principium intellectiōis, quod non sit volitiuum, cui si affirmatiue respondeatur, dicendum est de ratione intellectiui vt sic non esse potentiam volitiuam, sed intellectiua, quæ constituat gradum specialem viuentis medium inter hominem, & equum, qui differt ab equo per potentiam intellectiua, & à quo differt homo per volitiuam: si verò negatur possibile esse principium intellectiua, quod volitiuum non sit, omne intellectiuum constituetur per potentiam intelligendi, & volendi.

10 Proceunt hæc omnes conclusiones respectu animarum, quæ potentias non habent superadditas, aliis verò, quibus potentia superaddita possunt conuenire, hæc non essent de illius essentialia, quia nihil superadditum potest esse de essentialia alicuius, & quia sufficienter illarum essentialia constituerentur per principia radicalia suarum operationum.

11 Ex his constat gradus essentialiter dicere potentias, quibus constant, & animam gradus, quos includit: gradus vegetandi tantum dicit potentiam vegetatiua; gradus sentiendi saltem dicit quandam potentiam externam, & aliam internam: gradus specialis sensitiui equi, & leonis, vt distincti à sensitiuo talpæ dicit potentias quinque sensuum exteriorum, & sensum internum: gradus rationalis hominis dicit potentiam intellectiua, & volitiua, & si possibile est alius gradus intellectiui, & non volitiui medius inter gradus hominis, & equi dicit tantum potentiam intellectiua. Anima plantæ dicit gradum vegetatiui; anima talpæ dicit gradum vegetatiui, & sensitiui sensatione interna, & externam circa obiectum sensus si alia potentia externa caret hoc animal: anima equi, & leonis dicunt gradum vegetatiui, & sensitiui sensu interno, & quinque potentiis circa obiecta externa, anima hominis dicit omnes gradus, quos dicunt reliquæ animæ, & gradum ratiocinandi includentem potentiam sensitiua, & volitiua.

18 Obiicies contra has conclusiones. Possum ego considerare animam absque eo quod considerem illius potentias: ergo potentia saltem ex parte actus distinguuntur formaliter ab anima. Respondeo negando antecedens, eo enim ipso quod concipiam animam, debeo concipere illius potentias eo modo, quo animam concipio. Si animam expressè apprehendo, illius potentias expressè me apprehendere

hendere necesse est. Sic in definitione, quæ nihil aliud est, quam expressa anima apprehensio expressè illius potentias attingo, dico enim *aliquid, quo vivimus*, &c. ratio est, quia quantumvis confusè animam apprehendo, debeo illam apprehendere ut distinctam ab omnibus, quæ non habent rationem animæ: ergo debeo apprehendere id, per quod constituitur distincta ab illis: sed constituitur distincta per principium operationum vitalium: ergo debeo apprehendere principium operationum vitalium, quod formaliter est potentia. Debere me apprehendere animam ut distinctam ab aliis, quæ non habent rationem animæ, patet, quia si cum illis illam confundam, non dicar apprehendere animam sed prædicatum commune animæ, & aliis entitatibus, quæ non sunt animæ; sicut cum hominem apprehendo confusum cum equo, non dicor apprehendere hominem, sed animal.

13 Dixi conclusionem tertiā, potentiam non constituentem aliquid prædicatum superius animæ in communi, non terminatum ad actionem vitalem, non esse de essentia metaphysica animæ, etiam si realiter sit identificata cum illa, & consulto nullam ex his potentiis assignavi, quia non est huius loci examinare quibus potentiis constituentur prædicata superiora omni animæ, & de quacunque potentia à me assignata posset excitari questio, an illa pertineret ad constitutum substantiæ, corporis, vel spiritus, quam questionem dirimere esset naturam ferè omnium prædicatorum quæ in serie prædicamentali continentur indagare, quapropter sufficiat regulam assignare pro illis potentiis, si aliquæ sint, ex quibus forsitan erit virtus productiva caloris identificata cum animis sensitiuis.

PUNCTUM IV.

Nonnulla de potentiis expediuntur.

1 Inquiri solet in opinione quæ potentias superadditas defendit, an possint à proprio subiecto separari? Negat Caietanus 1. p. q. 54. art. 4. §. *Ad tertiam rationem*. Melius affirmativè respondet Sotus in prædic. cap. de proprio, Bañes 1. p. q. 77. art. 1. dub. 1. ad 4. Ratio fumenda est à paritate quantitatis, & aliorum accidentium, quæ à propriis subiectis separantur; non enim in vitalibus potentiis specialis reperitur difficultas, neque speciale fundamentum ad asserendum per se ipsas, & non per actiones superadditas dependere à subiectis, sicut enim quantitas est passio materiæ primæ & semper illam comitatur, & mediā actione ab illa dependet: eodem modo si daretur potentia intellectiva superaddita, mediā actione ab illa dependeret. Non nego possibiles esse potentias immediatè & per se ipsas dependentes à substantiis, quarum sunt passiones, quæ ab illis separari non possint; nihil enim, quod alicui entitati per se ipsam, & non per aliud superadditum convenit, ab illa esse separabile.

2. Secundo inquiritur, an hæc potentia separata ab anima possit vniri subiecto extraneo; v. g. an potentia visiva possit vniri ligno? Rub. lib. 2. de anima, c. 3. q. 2. asserit implicationem involuere vnionem harum potentiarum subiecto extraneo. Sentio absque vlla contradictione potentias has posse vniri subiecto; quod probo, quia nullū est argumentum, quo talis ostendatur contradictio. Secundo, quia in communi sententia potentia visiva materialis in homine, & in equo subiectatur in materia primæ: sed materia prima equi, hominis, & ligni est eiusdem speciei, & potuit eadem numero, quæ est hominis vel equi, ligno contingere: ergo sicut materia prima hominis est capax terminandi vnionem respicientem potentiam visivam, ita materia prima ligni eandem capacitatem habebit.

3. Obiicit Rub. implicat esse formam in subiecto, cui non communicat suum effectum formalem: sed effectus formalis potentie visivæ est reddere subiectum potens videre: ergo si informat materiam primi ligni constituit illam potentem videre. Respondi nullius effectum formalem, quem communicat forma cuicunque subiecto, cui vnitur, esse constitutivum quoddam totum resultans ex subiecto, formā vniti, & vnione, & hoc esse inseparabile ab illa, reliquos verò esse respectivos ad subiectum. Dixi etiam potentias non constituere subiecta per se ipsa effectiva, neque per se ipsa potentia aliquid producere; sed tantum mediātè mediis potentiis, si his seclis nullam virtutem

actiuam habeat subiectum, vel tanquam comprincipium ex qua & ex subiecto fit principium effectuum adequatum, si subiectum virtutem aliquam inadæquatam habebat ad operandum.

Tertio inquiritur: An potentia vitalis separata à subiecto, vel vnita subiecto extraneo posset elicere actum vitalem, v. g. intellectus separatus an posset producere intellectionem? Resp. intellectum sine consortio animæ, concurrente ad intellectionem non posse illam producere aduæ de potentia Dei absoluta, quia in mea sententia intellectionem (idem dico de volitione & quacunque sensatione) per suammet entitatem dependet ab anima & vnitur animæ. Respondeo secundò, intellectum separatum ab anima, hoc est, non illi vnitum, neque dependentem ab illa, posse naturaliter producere intellectionem, cum propria anima, si debitam approximationem habeat cum ipsa anima tanquam cum subiecto, à quo educenda est intellectionem, & comprincipio à quo simul cum potentia talis intellectionis processura est. Hanc conclusionem defendo, quia ad hoc ut intellectus concurrat cū anima, existitimo non requiri vnionem inter ipsum, & animam, sicuti neque in alio accidenti ad concurrentem cum substantia ad alium tertium effectum, quia sine fundamento requiritur talis vnio, sicut enim calor eodem modo cum igne, cui est vnitus vel cui est tantum applicatus; sic intellectus intellectionem producit cum anima sibi vnita, vel tantum applicata si debita cum illa applicationem habeat. Respondeo tertio intellectum subiecto extraneo vnitum posse de potentia Dei absoluta cum propria anima intellectionem producere, quia tunc illi deficit approximatō, quæ est conditio necessaria ad agendum, & forsitan vnio cum subiecto extraneo impedimentum sit ad agendum, poterit Deus non obstantè hoc impedimento cum intellectu concurrere, & approximationem supplere, ut probavi in Phisic. Contr. 8. Punct. 3. vbi dixi agens de potentia Dei absoluta posse agere in passum distans.

Quarto inquiritur: An potentia vitalis separata, vel quodlibet aliud accidens haberet modum perfectiatis Caietanus quem impugnat Suarez tom. 3. in 3. partem, disp. 56. sect. 2. affirmat accidens separatim habitum modum quemdam substantialem, quo existat existentia substantiæ, quam habere nequit, dum est in subiecto. P. Suarez supra, & P. Vasquez 1. p. disp. 173. modum hunc perfectiatis accidentalem concedunt accidentibus separatim. Sotus in 4. dist. 12. q. 6. & P. Valentia 3. p. disp. 64. cap. 5. Punct. 1. affirmant accidens separatim nullum modum superadditum habitum. Sentio accidens separatim nullo alio indigere modo distincto à creatione, ut constitutur existens, & independents à subiecto, quod sic probo. Ex vi creationis accidens constituitur existens, & sine dependentia à subiecto: ergo non indiget alio modo superaddito: Antecedens constat ex dictis 3. Phisic. de natura actionis creatiue: Consequentia patet, quia posita creatione accidens non indiget hoc modo ut sit independents à subiecto; ad quid ergo indiget illo modo? Dices per creationem existere independentem à subiecto priuatiuè, & non positiuè, & indigere modo superaddito, ut positiuè sit extra subiectum. Contrā: accidens habet per creationem, quæ est forma positiua, hoc, quod est non dependere à subiecto: ergo habet modum non dependendi æquè positiuè cum quocunque, quem tu fingas. Probo consequentiam: Nullus modus positiuus est formalis negatio dependentiæ, sed tantum illam inducit: ergo eatenus modus ille faciet subiectum positiuè independentem, quatenus per entitatem positiuam hæc negationem induceret; sed hoc habet creatio; ergo constituit accidens independents. Mitto nullum modum ex vi cuius entitas non existit, posse illum independentem constituere; quia accidens constituere entitatem independentem, est illam entitatem constitui existentem ex vi huius accidentis absque vilo ordine ad subiectum inhesionis: ergo accidens, seu modus, ex vi cuius potentia separata, vel qualibet alia entitas non constituitur existens non posset illam independentem constituere.

Dices: modum illum non requiri, ut potentia superaddita constitutur independents, ed ut suppleat vnionem, quam habebat tale accidens cum subiecto. Contrā: accidens separatim à subiecto manet ab illo diuisum, ergo ut sit in statu separationis necessariò includente diuisionem, non

non indiget alio suppleto vnione, ad hoc enim vt subiectū forma careat, nō requiritur aliquid, quod suppleat vices formæ, quæ caret. Neque anima rationalis in statu separationis habet modum aliquem suppletē defectū vnionis.

7 Adde magis connaturale esse accidenti, careere illo modo, quàm illum habere in statu separationis, quod sic probetur. Modus ille non est formæ connaturalis, neque necessarius adhuc pro illo statu, vt probauit, ergo si daretur, saltem esset præter illius naturam. Deinde opponeretur cū modo essendi in subiecto, quæ exigit accidēs, ergo esset cōtra illius naturā, sicut est contra naturam aquæ habere calorem oppositum cum frigidityte, quæ exigit, & magis naturale est aquæ, adhuc non frigida careere calore, quàm illi habere.

8 Obicit. Accidēs separatū est per se, ergo non indiget modo perfectitatis. Resp. accidēs separatū esse per se, nihil aliud esse, quàm existere cum independentia à subiecto, quod habet per creationem, quæ indigere fauor in statu separationis; Alio tamen modo distincto egere nego.

9 Obicit. secundo: Formā substantialem in statu reparationis habet modum perfectitatis, ergo eundem habebit forma accidentalis. Resp. formā substantialem separatā à subiecto, retinere substantentiam partialem, si illam propriam habebat in subiecto distinctā à substantentia materia: si verò substantēbat indiuisibili substantentia totius, in statu separationis, illi tribui modum quandam suppletē substantentiam, quàm habebat in toto, non verò modum suppletē vnionem ipsius cum subiecto, neque aliquem distinctum à creatione suppletē dependentiam, quam habebat ab eodem, si materialis erat, & ex ipso educta; accidenti verò nullum modum tribuendum esse distinctum à creatione, quia cū in statu vnionis non haberet substantentiam, non indiget in statu separationis modo suppleto vices substantentia, cuius est incapax.

10 Quinto inquiritur: An in anima vegetatiua distinguatur potentia generatiua, nutritiua, & augmentatiua? Plures de hac re lege opiniones apud Patre Rub. lib. 2. de anima, c. 4. de potentiis animæ vegetatiuæ; q. 2. Affirmo breuiter, Potentiam nutritiuam non esse distinguendam à potentia augmentatiua. Ratio est, quia nutritio, quæ est actus potentia nutritiua, non differt ab actu potentia augmentatiua, qui est acquisitio quantitatis per aliquid intrinsecū sed tantum per connotationem subiecti quantificati, ad quam tantum requiritur quantitas informans subiectum, sed ad hoc vt quantitas informet subiectum, circa quod fit nutritio, & ad hoc vt fit nutritio, non requiritur potentia distincta à nutritiua; ergo nō est superaddēda, quia vbi non est actus distinctio, non debet potentia admitti. Quod si vt viuens fiat maius quantum, vno quantitatis acquisitæ cū quātitate præexistente requiratur pro hac vnione, etiam si deus necessario requirit ad quantitatem quomodocūq; acquirēdā, nō est multiplicanda noua potētia, quia tota quātitas à materia producit, cui inhaeret, & ita vno quātitatū producit ab vnione materiæ, ex cuius potētia educitur.

Dico insuper, si nomine potentia generatiuæ intelligatur virtus productiua seminis, hanc non distingui à nutritiua, quia eadem potentia, quæ in materia cum his positionibus oīa producit, neruos in alia, in alia carnem, sanguinē in alia, & in alia lac, poterit & in alia semē elaborare. Saderi potest hæc sententia ex alia, quam multi Medici ex principiis anatomicis certam putant, videlicet partes, in quibus semen decoquitur, ali ex ipse semine ex quo infero ad virtutem illā, cui incumbit partes illas nutrire, spectare semen elaborare, vt illud tanquam materiam aptam ad nutritionem illarum partium disponat.

12 Vltimò affirmo, si nomine potentia generatiuæ intelligatur virtus, quæ immediatē foetum attingit, siue in semine residens, siue matri inherens, virtus generatiua à nutritiua distinguitur. Probo hanc conclusionem ex modo longè diuerso, quo effectus harum virtutum produciuntur, & distinctione actuum illorum, ex quibus tota distinctio aliarum potentiarum desumitur. Virtus enim generatiua respicit terminum necessariū transeuntē productum, virtus nutritiua terminum immanentē ab illa necessariū produciendum, quod si aliquas exerceat actiones transeuntē hanc virtus, scilicet dispositionem alimenti, aliāve huiusmodi hæc omnes ordinantur ad præcipuam actionem immanentem, scilicet conuersionem alimenti in substantiam aliti, vel illam consequuntur, productio verò foetus valde à nutritione in modo procedendi à suo principio differt, neque ad nutritionem ordinatur, neque illam consequitur.

Francisc. de Ouidio, Philosoph. Tom. II.



CONTROVERSIA IV.

De Potentiis materialibus tam externis, quàm internis.

DVo sunt potentiarum materialium genera, externarum, & internarum: Potentiæ externæ sunt, quas quinque corporis sensus vulgò appellamus, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, quæ vt plurimum semper idem animal omnes simul comitantur, in aliquibus tamen non omnes reperiuntur, talpa enim caret visu, aliaque animalia odoratu. De numero potentiarum internarum magna est disputatio, pluresque Philosophorum opiniones, vnum tamen est certum dari sensum communem, & appetitum materialem; an verò plures dentur sensus interni breuiter definiam. Omnia, quæ ad materiam huius sectionis spectant, suspensio brachio attingam, quia plus oblectamenti, quàm vtilitatis asferunt, & præcipue quia vix ratio efficaciter concludens hac in re inuenitur. Adeat Conimbric. Patres, qui plura de his potentiis fasè, eleganter, lepidè, & eruditè pertractata legere velit, qui à 7. cap. libri 2. de Anima agunt de potentiis externis, & quatuor prioribus capitibus libri tertij, de potentiis internis.

PUNCTVM PRIMVM.

De Potentiis externis.

Breuissimè quæ ad has potentias attinent hoc Puncto attingam, quia non alia maiori indigent discussione.

§. I.

De visu, & visibili.

Visus est inter omnes sensus præstansissimus, vt patet ex latitudine sui obiecti, & ex modo illud attingendi, & mira deorganizatione ad suas functiones requisita. Constant oculi septem musculis, quibus mouentur, tunicis quinque, tribus humoribus, neruis duobus. Musculos inuenit natura vt globum faciliè in omnes partes conuertant, quibus vnus sursum, alter deorsum, duo ad sinistram dextramque mouent orbem: duo illum circumferunt, & eundem septimus eum sustentat. E tunicis intima specularis vocatur, quia instar speculi nitet: huic proxima reticularis, quia venulis & arteriis intertexta figuram retis exhibet: tertia vana dicitur, quia similis est vix folliculo, pedunculo carenti: quarta cornea, quia cornu in tenuissimas laminas infectum refert: quinta alba à colore nuncupatur, adnata, seu adherescens, quia illius beneficio stat tota oculi fabrica. Ex humoribus intior dicitur crystallinus, medius vitreus, extimus aqueus, quia similitudinem crystalli, vitri fusi, atque recocti, & aquæ referunt. Duo nerui optici, siue visorii à cerebro in oculos mittuntur, in quos spiritus animales trahuntur.

Probant PP. Conimbr. c. 7. visionem fieri in humore crystallino, qui centrum orbis obtinet, quia si in membris optici fieret, cum aliquando nerui valde distent, obiecta duplicia apparerent. Neruos opticos aliquando distare, probant ex Vesalio c. 4. lib. 4. de fabrica corporis humani, dicente se Patavij quendam secuisse, cuius nerui visorii à cerebro ad oculos vique diuisi erant, qui tamen geminata à simplicibus discernebat, neque vnquam illi simplex obiectum duplex apparerent. Huic rationi non acquiesco, quia humor crystallinus oculi dextri distans est ab humore crystallino sinistri, & in vtroque visio, tamen obiectum vtroque oculo visum non apparet duplicatum. Nihilominus assero visionem fieri in hoc humore, quia hæc pars oculi est maximè lucida, & conspicua præcipuum obtinens locum, cui reliquæ partes deferunt, neque fortiozem aliam rationem huius conclusionis reperio, sicut neque opposita magis cogruentem.

E

Obiectum